



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

8. Castitatis, & fidei calumnia ignibus purgata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

danda fuit ea fama, ne & Ordini, & Ecclesiæ noxia esset, Abbas, coram centum & eo pluribus testibus, in suâ, & mulieris castitatis testimonium, ardentibus iussit afferri prunas, quas veste suâ copiosè susceptas tulit, nulla ignis nota relicta. Nimirum ut innocentia sua esset defensio, ostendit Deus, facilius esse, vestimenta castorum ab igne, quàm corpora à libidine illæsa permanere. Cùm ergo, diuina gratia muniti hoc possint; libenter Deus prodigiosè illud facit. Simile quid narrat Ioan. Vaszus. Anno Domini

Ioan. Vaszus  
in Chron.  
Hisp. ad An.  
530. 10.

*Incarnacionis 530. Toleti sub Amalarico Rege concilium celebratum est, cui presuit Montanus: Qui, ut loquitur D. Isidorus, post Celsum fuit Toletana Sedis metropolitanus Episcopus, vita & eruditione clarus. Is antiquissima fidelium relatione narratur, ad propulsandam conjugalis conuersationis infamiam, candentes prunas tam diu tenuisse veste, dum sacrum perageret, eoque, peracto, nec pruna ignem, nec vestis inuenta est amississe decorem.* Nimirum ubi homines fiunt hominum calumniatores, ibi vel elementa debent esse innocentia testes.

Vide & Sophron. in Prat. Spirit. cap. 114.

VIII.  
Greg. Turon. de gloria Confess. c. 76.

Valde huic affine est, quod de Simplicio refert Gregorius Turonensis. Is Simplicius perpetuam cum vxore castitatem seruauerat. Electus autem in Episcopum, domi adhuc vxorem retinens, sororis loco fouebat. Quem suspicio non inuadit? & si ansam habet, non lacerat? Locus nullus tam sanctus est, quò non accedit; nullum tam sanctum tempus, quod non violat. Ipso igitur Natalis Domini die festo, ciues inter se, ex suspicione, temerè loquentes, virginis nomen proseiderunt, iraque inflammati, talibus eam verbis aggressi sunt, qualibus hodieque sectarij Catholicos sacerdotes incessere solent: *Incredibile est, mulierem viro iunctam pollui non posse; sed nec vir poterit artibus mulieris iunctus à coitu abstinere.* Altè ea Virgini verba in cor descenderunt, neque potest castitas acerbius verberari, quàm calumniâ impuritatis. Itaque commota iniuriæ grauitate Episcopum adiit æquali castitatis laude dignum, arculamque ferream tunc, ut fieri solet, ad hiemis rigorem temperandum gliscentibus prunis plenam penes se habens, accita famula, expansoque pallio, ardentibus prunas effudit, ac ferè vnus horæ spatium tenens, tandem ita allocuta est maritum Pontificem: *Accipe & tu mitiorem solito ignem, nequaquam tuis velaminibus nociturum.* Suscepit veste suâ transfusos carbones, adhuc



Dan. 3. 24.

huc ignitos, Episcopus, nec ab igne quidquam adustum est. Quo miraculo ita capti sunt spectatores, vt illico, supra mille, sacro baptisinate initiarentur; ita calumnia eam passis in honorem, eam facientibus cessit in salutem. Quòd si sunt, qui hæc talia ad innocentiam demonstrandam ignium miracula risu excipiant, tamquam fabulosa, meminerint, tres quoque pueros in fornacem ignis missos, vnde exierunt illæsi. *Et congregati satrapa, & magistratus, & iudices, & potentes regis, contemplabantur viros illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non esset adustus, & sabala eorum non fuissent immutata, & odor ignis non transisset per eos.* Quis hæc dicet fabulosa? Si ergo Deus tunc innocentes in igne illætos seruauit, cur nunc non possit? An non idem est Deus? Aut non æquè nunc potest calumniam passos honorare, atque olim? Enimuerò in igne perinde seruare atque in aère? Vel vnã adhuc dabo eiusmodi Salamandram.

Theodor. 1. 2.

*Martianus Imp. ad S. aliquando Simeonem, habitum indutus idiota, religionis ergo venerat: vbi ob factum quoddam obstupuit, quod accidit duobus Episcopis inter se contendentibus, Orthodoxo vno, Ariano altero. Arianus quidem dialecticus erat, Orthodoxus verò pius & fidelis. Proposuit is eam conditionem, vt relictis verborum concertationibus, rogam ignis ingrederentur: & sic ostenderent; vtra sententia magis pia esset. Cùm autem Arianus conditionem eam accipere detrectaret, ipse Orthodoxus ignem ingressus è rogo differuit, & illæsus seruatus est. Quo prodigio ignis religionem illustrauit, ne obscura esset, & à Catholico Ariantum, tamquam scoriam ab auro seunxit.*

Ecli. 53. 6.

Potuit igitur innocens Episcopus dicere: *Et liberasti me à pressura flamma, qua circumdedit me, & in medio ignis non sum astutus.* Nemo putare debet vel tres illos pueros, vel hunc Præsulem à nulla calumnia, per flammam, fuisse purgatos: perinde est, immò plus est, si fides, quàm castitas alicuius, calumniam patiatur.

IX.

Cæsarius lib. 10. c. 34.

Sed non omitam, etiam in hoc genere, purgatam flammis innocentiam, quæ docet, Confessarijs, quantumvis castissimis, cautissimè, cum feminis, præsertim leuioribus, aut suspectis esse colloquendum. Gerhungus Scholasticus Bonnenensis, tempore Cæsarij, Parisijs absoluto studiorum suorum cursu reuertens, eiusmodi historiam solebat narrare. Viri, nobilitate & potentia inter